

do, præter omnium opinionem, brevi temporis spatio, omnibus Principibus veluti stupore defixis, in pontificiam ditionem concessit. Ac ne quid in tanta re ad illius fortunæ felicitatem addi posset, ab Alphonsi Ducis sorore, atque a Guallengo equite negotium actum: illa parum semper in Cæsarem fuerat propensa; hic decennii exilio mulctatus, atque in Alphonsi Cæsaris patris gratiam procul Ferrara submotus. Bandini Cardinalis in Comaclum ingressu cumulus accessit; qua ex re licet Rodolphus Imperator acerbitatis haud parum contraxisset, quod suæ ditionis civitatem (uti aiebat) pontificii occupassent; attamen temporum conditione, bello Pannonico distentus, verbo tenus est conquestus. Felici Ferrariæ successu ingentia Romæ atque in pontificiis ditionibus publica lætitiæ signa edita. Officii atque honoris plenas Pontifex ad Senatum literas dedit, quibus suo pontificatus tempore tantum incrementum Ecclesiæ accessisse gratulabatur; illius religionem ac pietatem efferebat; quidquid ex ea finium conjunctione commodi ad Rempublicam pervenire posset, ultro pollicebatur. Clementi congratulantes Patres responderunt; prudentiam ac pietatem summis extulerunt laudibus, quod absque armis sanguinisque effusione, tam egregiam rem, ex qua illi in omnem posteritatem nominis fama & concelebritas manebat, confecisset. Hæc in Italia.

Annus Uscochorum molestiis vacuus non fuit. Mense martio quingenti ad Curictam insulam delati, trecentis, qui jam exscenderant, sibi adjunctis, in quinque Epirotarum longa navigia, quæ una cum duabus triremibus in portu erant, Marco Antonio Canalis, ac Petro Mauroceno trierarchis absentibus, impetum faciunt, Epirotas obtruncant; nihil in infestam sibi gentem crudele, ac barbarum prætermittunt. Ob id, ut reliquis classis copiis mille ac quingenti adjicerentur milites, latum. Legato, ut in trierarchos, qui negligentius custodias obiverant, animadverteret, iussum: ambobus publico munere exutis, triremes ademptæ. Inde gravioribus damnis circumjectas oras, in quibus prædonibus tutus receptus erat, Bembo afflixit, multis cæsis ac deletis; Novium, castellum in litoribus Senniæ propinquis situm, aggreditur; tormentis quatit, mœniæque prostermit. Italico submisso pe-

dita-

1598

Comaclum
a Pont. oc-
cupatum.

Uscochi ad
Curictam
insulam tri-
remes Vene-
tas & epi-
rotas aggra-
diuntur.

Novium
a Joanne
Bembo ca-
ptum.